



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustæ Vindelic., 1727**

2. B. V. Mariæ Portiuncula

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)



436 II. Augusti. B. V. M. de Portiuncula.

habeamus devotissimè, præsertim à ma-  
nè. Dum dicimus : *Ave* : Recorde-  
mur Mariæ ; quia *gratia* plena. Com-  
mendemus ei, quoties hoc signum datur  
per diem, nuditatem animæ nostræ, ro-  
gantes, ut cum Dei gratia sanctè vivere  
& quondam suaviter ex hac vita ad æter-  
nitatem discedere liceat. Dilectè! fili-  
simus gratiæ, non iræ, & furoris Do-  
mini. Hinc oremus in veneratione  
Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ  
*novies Magnificat.*

Solemnitas Beatissimæ Virginis  
Mariæ de Portiuncula.

EXHORTATIUNCULA I.

**S**ic Jesus, & Maria dilexerunt mun-  
dum, ut hodie gratiam darent in-  
auditam, & indulgentiam concederent  
plenariam, ac omnium peccatorum re-  
missivam. Quid pro nostra salute, &  
spirituali consolatione exoptabilius?

*Instructio meritoria.*

Dies gratiæ, dies hodierna. Utamur  
pro anima. Dimittamus opera tenebra-  
rum, & exerceamus opera lucis, vel dan-



dō eleemosynas pauperibus, vel modestiæ & taciturnitatis exempla fidelibus, vel adhibendō mortificationem, ac continentiam in nostris sensibus. Unum est necessarium, vivere Deo, & mori corrupto homini, atque peccato. Pro huius satisfactione recitemus septem Psalmos pœnitentiales. Hæc pœnitentia o quàm levis respectu etiam peccati venialis!

II.

**D**Eus clamat hodie de S. Tribunali :  
*Venite ad me omnes ! Ecce ipse*  
(ait S. Greg.) *quem despeximus, vocat nos.* Ecce ! ipse invitat, veniam, antequàm rogetur, offert, gratiam, antequàm supplicetur, largitur, & communicat. Hominem exuit, qui tantam misericordiæ abyssum non adorat, & obstupescit.

*Instructio meritoria.*

Veniamus, & curramus ad pedes Jesu !  
fili amandissime ! Veniamus ; sed non sine munere. Hodie saltem statuamus, hanc, vel illam, quâ toties offendimus, & contristavimus Deum, deserere occasionem, & ut eò securiùs effugere queamus,



mus, talem nobis eligamus Confessarium, cui constanter nostram impostorùm concedamus conscientiam. Hoc ad unum Confessarium constans confidentia id poterit contra scelera, quorum multorum fortè non evicere consilia, & monita. Probatum est! Officium nostrum oremus de SS. corde Jesu.

## III.

**S.** Franciscus, hic Vir, hic Seraphicus fuit, qui periclitanti hodie succurrebat sæculo, mirabili suâ sanctitate, & vitæ meritis. Ecce! flectit coram Jesu. Lacrymatur coram Maria, & clamans suspirat: *Sancta Maria! Succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles.* Respexit Deus humilitatem servi, & plenariam oranti Sanctissimo Patri dispensat indulgentiam pro omnibus hodie in templo Mariæ de Portiuncula seriò, & verè poenitentibus. Verè diem, quam fecit Dominus! exultemus, & lætemur in ea!

*Instructio meritoria.*

Flectamus & nos genua versùs quatuor mundi partes, & oremus pro conversione



versione, & pœnitentia gravissimorum peccatorum, supplicantes Dominum, ut vel hodie his concedat gratiam peccata corde contritò confitendi, & pro confessis, quantum fieri possibile, dignè satisfaciendi. Et ò fili! quia peccatores plerumque pœnitentias horrent, quid si partem unam satisfactoriam, quam illi deberent Deo, in nos suscipere, & in nostro corpore aliena dilueremus debita? O quàm insigne hoc foret opus charitatis! & quid illud, ut non præstemus? Si caro & pellis propria, sciamus, nos nihil adhuc didicisse in schola Christi de sancta charitate: Hæc enim benigna est, & omnia suffert. Pro aliquo tamen amoris obsequio *quinque psalmos* de Nomine Mariæ dicamus, ut peccatores non deserat.

Festum Inventionis Miraculo-  
sæ Protomartyris S. Stephani  
Levitæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**P**rofectò est cura Deo de servis, & amicis suis! Corpus S. Stephani diu  
T 4 jacuit